Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1365

Quelle:
Copyright:

ti 1788 p. 25. f. implicuit ita, ut *Petrum* ſuum *Toletanum* Interpretem mallent, quam quidem *Robertum Angligenam* illum *Retenenſem*, ſeu *Ketenenſem*. Non animadverterunt videlicet, aperte de duobus diſtinctis Operibus rem eſſe *Petro* in Epiſtola: *Mitto vobis*, ait, *novam translationem noſtram contra peſſimam nequam Machumet haereſin diſputantem. — Feci autem eam transferri a perito utriusque linguae viro magiſtro Petro Toletano.* Nunquid *Alcoranus* contra ſe ipſum diſputat? *Sed et totam impiam ſectam*, proſequitur, *uitamque nefarii hominis ac legem, quam Alcoran — appellauit, — ex Arabico ad Latinitatem perduxi interpretantibus — Roberto Retenenſi de Anglia — Hermanno quoque Dalmata* &c. Quid evidentius? Aſt ubi prius illud Opus? Latet enim vero, uti latebant usque ad *Edm. Martenii* tempora IV. *Libri* ab ipſomet *Petro Venerabili* contra *Saracenos* ſcripti, quorum non niſi primos II. Vir ille nactus T. IX. *Vett. Scriptt. et Monum. Pariſ.* 1733. ad *col.* 1119. inſeruit. Extat tamen, niſi me omnia fallunt, ejus Subſcriptio, et quidem temere adjuncta Subſcriptioni *Alcorani* factae a *Roberto Retenenſi*. Ita enim citat e IV. Codicibus, qui parum differunt, *Bayerius*: *Illuſtri viro Petro Cluniacenſi abbate praecipiente ſuus Angligena Robertus Retenenſis librum iſtum tranſtulit anno Chriſti MCXLIII. anno Alexandri MXLIII. anno Albigerae DXXXVI. anno Perſarum DXI.* Hic ſiſtendum erat; hoc enim ad *Alcoranum* pertinet, ſed addunt continenter *Bayerii* Codices: *Hunc librum fecit dominus Petrus Cluniacenſis abbas transferri de arabico in latinum a Petro magiſtro Toletano, cum eſſet ipſe abbas in Hiſpaniis conſtitutus cum glorioſo Adephonſo eo anno, quo glorioſus Imperator Choriam civitatem cepit.* Qua Librariorum oſcitantia id factum ſit, ignoro; Codex enim, quem prae manibus habeo, nihil de ſecunda hac Subſcriptione. Interim ei *Bayerius* innititur, nihil motus *Mart. Siruelae* ſuſpicione, cum verſione *Alcorani* compactum in eodem Codice aliquod aliud opus etiam ex arabico in latinum converſum a *Petro Toletano* extitiſſe, ad quod referri haec nota poſterior debeat. Gaudeo ſane, jam hominem ante me id vidiſſe, neque ultra moror *Bayerium* opinionem ſuam *J. Alb. Widmanſtadii* autoritate fulcientem, qui in Epiſtola *Mahometis Theologiae*, *Norimb.* 1543. 4. praefixa adſerit, a *Roberto Ketenenſi* non niſi *Epitomen Alcorani* in latinum tradactam fuiſſe. Falſum id eſſe docet ipſa *Roberti* ad *Petrum* Abbatem Praefatio, in qua ait, ſe nihil niſi Arabicum velamen ſemoviſſe, nihil excerpſiſſe, nihil ſenſibiliter, niſi propter intelligentiam tantum, alteraſſe. Interim *Widmanſtadius*, qui *Epitomen* ſuam e *Roberti* Verſione confectam, neſcio unde, habuerit, plures in errorem induxit, velut *Geſnerum*, *Tannerum*, alios, quibus *Nic. Cuſanum*, *Erpenium*, *Huetium*, *Aug. Pfeifferum*, *Mar-*